

**Dissertatio medica, inauguralis, de ictero ... / Eruditorum examini subjicit
Gulielmus Briggs.**

Contributors

Briggs, William, active 1791.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1791.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/evv9huxs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

I C T E R O.

DEPARTMENT OF THE ARMY

IN THE OFFICE OF THE

CHIEF OF THE BUREAU

OF THE GENERAL STAFF

WASHINGTON, D. C.

1898

OFFICE OF THE CHIEF OF THE BUREAU

OF THE GENERAL STAFF

WASHINGTON, D. C.

1898

OFFICE OF THE CHIEF OF THE BUREAU

OF THE GENERAL STAFF

WASHINGTON, D. C.

1898

OFFICE OF THE CHIEF OF THE BUREAU

OF THE GENERAL STAFF

WASHINGTON, D. C.

1898

OFFICE OF THE CHIEF OF THE BUREAU

OF THE GENERAL STAFF

WASHINGTON, D. C.

1898

OFFICE OF THE CHIEF OF THE BUREAU

OF THE GENERAL STAFF

WASHINGTON, D. C.

1898

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,

DE

I C T E R O.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS BRIGGS,

ANGLUS,

Soc. Reg. Phys. Sod. Hon.

Quam varia, quam multiplex Icteri idea ! BOERH.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCI.

OLD FATHER'S WOODEN SHOE

IN A NEW AND IMPROVED

OF THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

THE NEW AND IMPROVED

BOLD FLEETWOOD HESKETH,

ARMIGERO,

DE ROSSALL,

In comitatu Lancaſter,

Amico ſuo plurimum colendo ;

Nec non,

ALLAN CHAMBRE,

ARMIGERO,

DE KENDAL,

Cognato ſuo dilecto,

Haſce ſtudiorum primitias,

Summae obſervantiae teſtimonium,

Sacras eſſe voluit

AUCTOR

BOLD THE TWO D HASKET

THE MIDDLE

THE FOSTER

THE MIDDLE

THE MIDDLE

ALL THE WAY

THE MIDDLE

THE MIDDLE

THE MIDDLE

THE MIDDLE

THE MIDDLE

THE MIDDLE

THE MIDDLE

THE MIDDLE

THE MIDDLE

THE MIDDLE

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

I C T E R O.

QUOTIES homines tentat icterus, nemini ignotum. Eum adesse testantur, “fla-
“ vedo cutis et oculorum, faeces albidæ, urina
“ obscure rubra, immixta colore luteo tingens *.”

Annorum numero vel temperamento cuivis hic parum videtur proprius, utpote infantes tenerri-
mos et ætate provec̃tissimos interdum adoriens ;
sed, auctore Van Swieten, “ in juniore ætate

* Vid. Cullen Synopsin, Genus xci.

“ rarius occurrit, adultos et in senium jam ver-
 “ gentes frequentius corripit; et praecipue qui-
 “ dem illos qui diuturno moerore afflicti, vel et
 “ memores iras diu noctuque sub pectore ver-
 “ fant.”

Notas in definitione recensitas plerumque
 praecedunt languor universalis, oppressio quae-
 dam ad scrobiculum cordis, animi dejectio, hy-
 ponchondrii dextri tensio et dolor, cutis pruri-
 tus et ariditas, et haud infrequenter aegre per-
 ficitur respiratio; nec raro pyrexiae signa, sci-
 licet horror, dein calor, pulsusque intentio, acces-
 sionem comitantur; neque enimvero diu inte-
 grae restant canalis alimentarii functiones; fitis
 molesta interdum adest; imprimis autem nausea
 vel vomitus saepius urgere notatur; facultas
 concoquendi imminuitur, et copiâ acoris crebro
 gravantur aegroti; alvus plerumque adstricta
 evadit, aliquando tamen, licet rarius, diarrhoea
 per totum morbi decursum obtinuit.

Die uno vel altero ab aggressione, tunica oculorum albuginea, et paulo postea tum ungues, tum cutis tota, plus minusve flavescent. Urina reddita, maximâ ex parte, aliquid craffi et subnigri deponit, et lintea alba immissa colore luteo tingit; faeces alvinae, colore ac odore pariter privatae, speciem subalbidam, et quasi argillaceam, assumunt; in ictero autem, a quibusdam causis pendente, multo praeter solitum flaviores evadunt.

Post paucos dies, aliquando ocius aliquando vero serius, urinae, oculorum, et cutis flavedo, in nonnullis sensim evanescit; faeces colorem et odorem proprium recipiunt, atque ita feliciter terminatur morbus.

In aliis autem exemplis, temporis exinde spatio incerto, tota haec malorum series eodem ordine redit; et cum plures hujusmodi invasiones passi fuerint aegri, manet perpetuus icterus, subinde quidem ingravescent; sed symptomata

tomata minus valida invasiones singulas comitantur; flavedo per universum corpus diffunditur; nec tantum urina, sed reliquae quotquot secretiones, lacte solummodo excepto, tela cellulosa quoque, ossa, et, auctore Valsalva, cerebri ipsius medulla, eandem flavedinem participant; atque, siqua Hoffmann vel Sydenham fides sit adhibenda, lutea videntur omnia. Signa autem duo novissima minus crebro advenire, sine dubio fatendum; Morgagni enim accuratus atque peritus de illo dicit: “ Et rursus cum similis pos-
 “ tea oblata esset occasio, etsi in lateralibus ven-
 “ triculis paucam, quae inerat, aquam substa-
 “ vam conspexi, plexusque choroides ad eum
 “ colorem nonnihil vergentes, et pinealem glan-
 “ dulam ipsam breviorē alioquin et minus
 “ mollem, et cui ad basin antērius paucillum
 “ adhaerebat, non arenosae, nec flavae, sed al-
 “ bae substantiae; versus summum autem quid-
 “ piam intus inerat quasi sanguinis vasive san-
 “ guiferi; etsi, inquam, eam glandulam vidi, ex
 “ suo

“ suo cinereo colore inclinantem ad subflavum
 “ obsoletum ; reliqua tamen, nam persecui, om-
 “ nia nativum fervabant, ut quicquid medullare
 “ esset offenderim candidissimum.”

Et Professor noster Gregory, licet ei contigisset, ut pluribus ictero laborantibus medicinam faceret, attamen se hoc novissimum vix semel vidisse fatetur.

Denique, ni morbus antea levatus fuerit, cutis tandem fere nigrescit ; vires dilabuntur ; pedes primum, deinceps totum corpus, oedemate afficiuntur, et demum hydropici pereunt aegri.

Nunc eo deventum, ut causam proximam investigare conemur.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Hanc a bile quodammodo pendere, apud omnes consentitur, et ejus excretionem impeditant ad icterum inducendum valere, ita aperte constat, ut, si ad hoc comprobandum tempus ternerem, nil nisi poma Alcinoο darem. Aliam vero, quā eadem quoque effecta darentur, (secretionem nempe obstructam), rationem proposuerunt, nec parvi nominis auctores, apud quos recensendi Boerhaave et Morgagni. Fundamento autem adeo nulli nititur haecce theoria, ut hodie dierum fortasse vix operae pretium haberetur, si huic refellendae multum impenderem curae.

Omnes liquores e sanguine secernendos, sub formā propriā in eo ante existere, quam glandulas secernentes attigissent, sine dubio crediderunt

derunt hujus opinionis fautores. Morgagni enim dicit, “ Est alius praeterea vel notior modus
 “ quo bilis materia in sanguine augeatur, ut si,
 “ ex eâ quae inest, parum vel nihil separetur,
 “ five ob aliquod sanguinis ipsius, aut intimi se-
 “ cernentis organi vitium, five ob complurium
 “ hepatici ductus ramorum, aut ejus ipsius trun-
 “ ci, aut communis impeditam viam.”

Si autem sic se res haberet, et si bilis, propriâ formâ, sanguini inesset, quosdam suos effectus, plus minus semper praestaret; hoc vero minime factum. Sed, quod hanc opinionem ex toto refellit, exinde oritur, quod sanguis, e venâ portarum ipsâ emissus, ubi sane maxime abundare deberet, bilis existentis ne unum quidem signum manifestare notatur. Praeterea, etiamsi haud pauca adducenda sint, ubi hepar durum comitatus est, icterus, (quem excretioni, quam secretioni impeditae, magis adscribendum, infra comprobare conabor), attamen nec alia defunt exempla, in quibus hepatis structura adeo peni-
 tus

tus erat deleta, ut bilis secretio vel omnino nulla, vel admodum parca, ex necessitate evasisset; nullis tamen icteri indiciis sese ostendentibus. Ex quibus omnibus, bilis secretionem imminutam, ictero inducendo, haudquaquam esse parem, certissime inferre licebit.

Sunt qui credunt, bilem majore quam solita copia in intestina delatam, partim per vasa resorberi, adeoque sanguini commistam, arquatos reddere, posse; neque enimvero, me judicante, aliquid vetat quin hujusmodi excretio aucta, causa proxima interdum habeatur, et eo magis, quod, quibusdam post emetici vel cathartici fortioris operationem, supervenisse icterum, testantur Hoffman et M'Lurg.

Licet vero huic opinioni in totum concedamus, attamen, ejusmodi casus rarius occurrere, imo etiam, hos medicorum attentione vix unquam egere, nemini negandum; et icterum, a bilis excretionem quovis modo impedita, ipsaque

dein

dein in sanguinem circumeuntem resorptâ, semper fere pendere agnoscendum est.

Nunc restat, ut, quae in sanguinem bili pateat via, investigemus; neque enim de hâc, ut de tot aliis physiologiae partibus, inter medicos conventum est.

Nonnulli per poros biliarios in venam cavam regurgitare; alii autem, vasis lymphaticis. quibus tum ductus tum cystis fellea ita copiose instruuntur, bilem absorberi, et per ea et ductum thoracicum in sanguinem revehi, opinantur. Qui sententiam illam tuentur, injectiones per hos poros in venam cavam transire, affirmant. Illustrissimus Haller dicit, “ Altera certissima anastomosis est
 “ ex ductibus biliariis in venam cavam, quam
 “ clarissimi ante me viri viderunt, et mea experimenta confirmant, uti vicissim ex vena cava
 “ mercurius in porum biliarium transit, aut
 “ gluten, ut vidi piscium, aut aqua.” “ Id

“ iter etiam morbi demonstrant, cum bilis ipsa
 “ in sanguinem frequenter redeat, quam osten-
 “ demus amarore integro, flavo tinctorio per
 “ universum corpus dominari.”

Injectiones quidem in venam cavam impulsas
 fuisse, inficias ibit nemo; attamen maximâ vi ad
 hoc efficiendum opus esse, asserit ipse Monro.
 Hic admodum illustris Halleri experimento, om-
 ni curâ saepius reiterato, ceram non modo in
 venam cavam, sed venam portarum quoque, in-
 trasse; imo etiam, si minus violenter injectionem
 urgeret, hanc ceram cepisse, illam vero omnino
 vacuam, constanter invenit; adeoque Halleri in-
 jectionem venam portarum semper prius pene-
 trasse, quam ad venam cavam devenerit, ei mul-
 to verisimilius visum est. Si vero, sanguinis
 circuitu jam suspensio, vix tandem propellantur
 injectiones, quo modo bilis regurgitans, vivo
 adhuc animali, non modo ad resistantiam su-
 pradictam, sed etiam circuitu multum adauctam,
 superandam,

superandam, valeat, equidem omnino ignoro. Praeterea, antequam aliquid hujusmodi effici possit, sanguinis venae portarum circuitus, simulque bilis secretio, necessario interpelli viderentur. Quid autem argumenta? quum ad experimenta luculentissima, omnique fide digna, decurrere liceat.

Monro noster, ductu choledochi ligato, plura animalia arquata reddidit, et etiam si in horum quibusdam bilis ea accumulata esset quantitas, quae ductum distendit donec pollicem caperet; veruntamen nihilo facilius, vesiculam felleam comprimendo, bilem in venam cavam impellere potuit. Vel etiam, si vim comprimentem diutius adhibere perseveraret, vesiculam aut ductus prius dirupit, quam bilis vel guttulam in sanguinem urgere posset.

Tali nititur fundamento regurgitationis doctrina: Ad alteram opinionem iussulciendam,

restitat

restat (si iterum Monro citare liceat) ut aliud experimentum adducamus, quod omnem dubitationem penitus dirimere videtur. Is enim, jecoribus plurium animalium patefactis, ductum cujusque ligavit, quo tempore, ita non intumuerunt vasa lymphatica, ut aciem ex toto fugerunt; sed, paucis exinde diebus, abdomine iterum aperto, haec vasa, per totam hepatis et vesicae felleae superficiem numerosissima, liquore flavo turgebant, qui per incisionem detractus, omnia bilis indicia, tum quod ad saporem, tum quod ad colorem, ostendebant.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hae in praedisponentes, sive quae corpus morbo opportunum reddunt, et occasionales, quae in corpore jam proclivi morbum excitant, dividendae; et quo illarum actionis melius intelligatur

telligatur ratio, haud inepte forsan prius citabimus causas quae morbum ipsum inducere solent.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Quoniam, ut supra dixi, cuivis obstaculo, bilem in intestina descendentem impediendi, maximâ ex parte, tribuenda aurigo, causas excitantes admodum multifarias evasuras, luculentissime patebit. Imprimis ergo, aliquid vitii ductui ipsi inhaerens, nimirum “ ductus communis ad
“ capillarem angustiam reductus, aut instar
“ chordae solidae coarctatus,” auctore Morgagni, inter causas, licet rariores, recensendi. Huc quoque referenda ductus choledochi constrictio spastica, quae, si unquam contingat, causa excitans haberi non nequit. Hanc autem existere minime adeo aperte constat, quin de eâ adhuc pluribus injectus sit scrupulus. Etiam si
enim

enim desiderandus ille Cullen admittere, alii tamen eruditissimi hanc repudiare voluerunt: Nec inter tantos viros tironi adimendae lites.

Illius opinionis fautores hoc modo argumentantur; quamvis, aiunt hi, structura ductuum muscularis demonstrari nequeat, attamen nil contrarii exinde inferri debet; quisnam enim fibras musculares in tubulis seminiferis, vasis lymphaticis, vel oculi iride, unquam cernere potuit? nemo tamen eas ibi existere dubitat. Atque enimvero, ductum vi quâdam musculari gaudere, perspicue constat; nam quomodo aliter exponendus bilis ex ductu communi in vesiculam ascensus? His rite perpenſis, quid prohibet quin spasmus, huic ductui subiens, icterum inducat? Et nonne hoc admodum verisimile redditur, quoniam aliquos, post magnam animi perturbationem, subito corripere notatus fuit icterus? Et nonne, quod opium hisce saepius profuit, idem indicare videtur?

His autem ut respondeatur, adducunt alii, quod, licet fibris muscularibus non omnino careant, attamen his ita parcis ductus biliarii instruantur, ut tantâ vi contractionis, quantâ ad bilis transitum impediendum opus sit, vix ac ne vix quidem pollere possint; ureteribus enim, licet multo magis musculosis, spasmus subiens, urinae suppressionem efficere nunquam fere observatur.

Et quod ad icterum ex animi pathematis ortum, alii sunt modi, quam spasmus ductui illatus, quibus iidem praestentur effectus.

1^{mo}, Quam spasms obnoxius totus fit canalis alimentarius, et, quantum ad eos excitandos valeant affectus animi, omnibus innotuit; cujus vero exemplum habenda est hysteria. Annon igitur duodeni contractionem, ubi ductus penetrat, ad eundem coarctandum, vel ex toto intercludendum, sufficere, satis verisimile videtur? atque

eo magis, quod Sydenham, “ Icterus qui gra-
 “ datim et sponte decedit, saepe colicam hysteri-
 “ cam excipere,” testatur; et De Haen quoque,
 se “ in multis colica pictonum laborantibus ic-
 “ terum vidisse,” affirmat.

2do, Animi pathemata, sanguinis ad externas
 partes impetum minuendi, et eundem ad partes
 internas augendi, virtute peculiari pollere no-
 tantur; et quoniam, ubicunque augetur sangui-
 nis quantitas, ibi copiosior necessario evadet se-
 cretio, nihil vetat quin aliquando bilis, ob iram
 copiosius secreta, in intestina deferatur, et, per
 vasa lactea dein resorpta, flavedinem inducat.

3tio, Cum animi affectus vehementiores, cor-
 poris munerum insignem agitationem nunquam
 non concitent, minime fidem superat, quin cal-
 culos prius in vesiculâ existentes, in ductum
 communem aliquando detrudere queant.

Neque

Neque enim, aiunt hi, aliquid pro illâ opinione demonstrat, opii vel aliarum rerum vi antispasmodicâ gaudentium, administratio; certissime enim huiusmodi medicamenta aequè, vel multo magis, prodesse, si intestinis ac ductui choledochi inhaereret spasmus.

Hepatis affectiones fere omnes icterum facilius movisse, neminem quidem latet. Adeoque huius visceris inflammatio, &c. apud Boerhaave, inter causas excitantes jure habentur; minime vero illius explicatio admittenda, qui de hepaticide dicit: “ Bilis generationem, secretionem, “ excretionem, circulationem, actionem invertit, icterum producit;” quisquis enim, quae supra apud causam proximam adducantur, secum reputaverit, non tam ob laesam hepatis structuram, quam ob molem auctam, quâ ductus choledochus comprimatur, vel forsan ob ductum ipsum, inflammationem participantem,

adeoque capacitatem ejus multum coarctatam, iſterum excitari, haud aegre perſpiciet.

Nec cuivis de hepatis aut partium vicinarum ſtructurâ, vel poſitione, jam certiori factô, quo hepatis ipſius, in eâ parte praefertim quâ concavum eſt, vel glandularum lymphaticarum in Gliffonii capſulâ ſitarum, vel etiam pancreatis ſchirrhus aut tumor, ductum communem comprimere, et eoſdem effectus producere queat, modus intellectu erit difficilis.

Sic enim in gravidis, vel a tumente utero, vel faecibus in colo inteſtino collectis, iſterus interdum oriri notatus fuit.

Huc quoque referendi omenti et meſenterii tumores, necnon duodeni, a quâvis cauſâ orta, diſtenſio; in memoriâ enim habito, quam oblique per ejus tunicas penetret ductus, nemo cer-

te negabit, quin ita distendi possit duodenum, ut ductus orificium omnino occludatur.

Infantes recens nati arquati interdum fiunt, quod meconio retento plerumque tribuendum; hoc enim viscidum atque tenax, in duodeno tantâ existere potest quantitate, ut bilis exitum omnino impediat.

Notandum vero, quod aliquando flavedine correpti fuerint infantes, dum faeces alvinae bilis absentiam non modo non indicârunt, sed vel multo praeter solitum flaviores, sive virides, evaserunt. Haec autem, ni fallor, icteri est ea species, quae bilis excretionem auctam in causam proximam sibi vindicat.

Hic loci considerandae, quae in ductibus biliariis sitae, obstructiones, bilis excretionem impedian. Inter has vero plerumque annumerata fuit bilis ipsa, quae, ob remoram in cystide nimiam,

miam, adeo tenax interdum evadit, ut per ductus aegre transeat, et iter ad intestina obliquum nequaquam penetrare possit. Van Swieten se talem casum vidisse affirmat: “ Quandoque vidi
 “ bilem,” ait ille, “ instar tenacis glutinis co-
 “ haerentem, vomitu redditam fuisse, nunquam
 “ postea redeunte ictero.”

Causam vero longe frequentiore esse calculos, in vesicâ felleâ natos, ex observationibus numerosissimis, inter omnes consentitur. De harum concretionum formatione nihil certi constat; quod autem mihi veri simillimum videtur, id postea, cum de causis praedisponentibus tractemus, in medium proferemus. Qualitates vero earum, et modum quo icterum inducant, interim explicare praeestabit.

Calculi biliarii, quoad magnitudinem, figuram, &c. maxime inter se discrepant; unum memoravit Morgagni “ qui cystim felleam non modo
 “ implevit,

“ implevit, sed etiam admodum distenfit, et ali-
 “ um semiovo gallinaceo aequantem, quosdam
 “ autem adeo minutos, ut in cysti felleâ cujus-
 “ dam gladiatorii 3646 reperti sunt calculi.”
 Hic quoque animadvertit, “ globum calculosum
 “ Zijfs ponderantem, qui ex cyste nihil aliud in-
 “ cludente detractus, in 60 minores calculos ob-
 “ scure flavos, friabiles, singulos pentraedros, et
 “ scrupulum ponderis aequantes, descissit.”

Hae concretiones minus recte calculi deno-
 minantur; nihil enim lapidosi iis inest. Gustui
 sunt perquam amarae; quaedam exterius crys-
 tallorum, spermatis ceti instar, prae se ferunt spe-
 ciem; frequentius autem opacae, fragiles, et ad
 inflammationem aptae, figurae aliquando rotun-
 dae, saepius vero angulosae, reperiuntur; sectae
 aliae nucleos, aliae autem nullos, exhibent.

Concretiones hujusmodi icterum minime pro-
 ducturas, nisi bilis in intestina iter impede-
 rint;

rint ; adeoque, dum cystidi vel etiam ductui cystico inhaereant, nisi eâ magnitudine fuerint quae ductum hepaticum quoque comprimat, hunc effectum vix daturas, fatis constabit. Si autem, ob validam animi aut corporis commotionem, vel aliam quamvis causam, calculus in ductum communem protrudatur ; quomodo propter hujus, ubi intestinum intrat, coarctationem subitam, ibi detineatur, viam occludat, et sic causa evadat, omnibus facillime patebit.

Quoniam vero his calculis angulosa, et omnino irregularis, plerumque adfit forma, etiamsi, initio forsan eam posituram adeptae fuerint, quae bilis iter penitus occludat, et icterum inducat ; attamen eorum situs, neque enim, eliminatis ipsis, adeo mutari potest, ut bilis transitum liberum ad tempus iterum finat, donec, sede rursus mutatâ, ductûs oppilationem denuo efficiat, et icterum de integro inducat : Si autem hae positurae saepius alternaverint, icterum quasi periodicum

dicum exhibebunt, atque hoc modo fortasse explicanda ea icteri species, quae, utpote crebro occurrens, nullis tamen calculis eliminatis, spasmo pendere putabatur.

Animi pathemata, ductus aut duodeni spasmus inducendo, vel calculos detrudendo, vel etiam bilis secretionem augendo, icterum movere valent.

Huc quoque recensenda occurrunt emetica et cathartica draftica, quae, bilis secretionem nimis augendo, auriginem inducere notantur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Ut causae adeo multiplices, et inter se quam maxime discrepantes, hunc morbum excitare possunt, eae quoque, quae corpus opportunum reddunt,

reddunt, quantum de iis adhuc notum, aequae variae reperientur.

Imprimis autem, quoties hepar schirrhosum inducat liquoris fermentati usus immodicus, nemo est quin saepius observaverit; et quoniam hujus visceris non schirrhosus tantum, sed plures quoque affectiones, icterum inducere soleant, causa praedisponens merito habetur ebrietatis consuetudo.

Et cum in regionibus calidis, *e. g.* Indiâ Orientali, ad hepatis affectiones adeo insignis notatur proclivitas, inter causas praedisponentes recte forsan annumeratur calor; eoque magis, quod alio quoque modo nocere videtur; bilis enim secretio et excretio aucta icterum interdum inducunt; quoties vero hae in regionibus ac tempestatibus calidis accidant, neminem certe latet.

Quod

Quod ad spasmum attinet, five ductui ipsi, five intestinis insit; quicquid mobilitati nimiae faveat, ad hujus accessionem proclivem aliquem facturum videretur; Sydenham enim, colicam hystericam icterum aliquando excitare, affirmat.

Causas calculorum formationi faventes, maximâ ex parte, forsan ignoramus. Quoniam vero plures, nec parvi nominis, auctores, se eos in provectioribus saepius vidisse, asseverent, quid vetat, quin iis aliquid fidei adhibeamus? Hoffman scribit, “ rarius in hominibus florentis æ-
 “ tatis, frequentius vero in senibus, atque in
 “ foeminis crebrius quam in viris, reperitur.” Van Swieten de hujusmodi ictero dicit, “ adul-
 “ tos et in senium jam vergentes frequentius
 “ corripit, et præcipue quidem illos, qui diu-
 “ turno moerore afflicti, vel et memores iras diu
 “ noctuque sub pectore versant; omnium maxi-
 “ me sedentariam vitam agentes, hinc literatis
 “ frequens morbus.” Haller “ frequenter cal-

“culos vesicae felleae in reis diu carceri inclu-
 “fis,” reperit.

Ex quibus omnibus, et hoc praecipue, exem-
 plis, nonne eos, qui vitam desidem degunt, vel
 animi pathematis ingratis premuntur, calculo-
 rum formationi quodammodo esse procliviores,
 omnino verisimile videtur? Et fortasse hanc
 doctrinam quodammodo confirmat Van Swieten,
 qui dicit, “bilis enim retenta satis cito calculos
 “producit, quod et observavi in bile, quam
 “sponte in vase vitreo ut putresceret relique-
 “ram; in fundo enim vasis grumos calculosos
 “inveni.”

Victus quoque ficior, si ex analogiâ quid-
 quam repetere liceat, calculorum formationi
 aliquatenus favere videretur; hujusmodi enim
 concretiones saepissime tempore hyemali, cum
 tali cibo potissimum victitant; rarius vero aesta-
 te,

te, cum recens gramen pascuntur boves, iis ad-
esse, plurium observata confirmant.

Siquidem bilis nimis spissa inter causas exci-
tantes quoque annumerata fuit, quicquid ejus
in cystide felleâ remoram faceßat, et partis te-
nuioris resorptionem adjuvet, causa praedispo-
nens necessario evadet; adeoque Van Swieten,
“ hanc literatis sedentariam vitam degentibus
“ haud infrequenter contingere,” affirmat. Et
insuper Galenus, “ vesicam felleam, id quod in
“ vesicâ urinariâ a retentâ nimis diu urinâ, ob-
“ servatur, quasi paralyticam fieri, nec commo-
“ de posse; suarum fibrarum opê, bilem jam spif-
“ fiorem exprimere,” notavit.

Secundum celeb. Boerhaave, febres intermit-
tentes, cortice Peruviano praemature repressas,
saepius excipit icterus.

Quid bonum illum senem ad hanc opinionem
formandam

formandam induxit, nisi fortasse huic prae-
tissimo remedio, quae morbo ipsi potius tribu-
enda erant, vitia objecisset, equidem penitus ig-
noro. Hodie enim temporis, vix superest medi-
cus, qui ab hujus medicaminis usu tales effec-
tus unquam notavit. Ego saltem, licet in re-
gione natus, ubi inter morborum frequentissi-
mos jure habentur febres intermittentes, et cor-
tex quam primum exhiberi solet, aliquid hujus-
modi nunquam observavi.

D I A G N O S I S.

Si equidem chartulam amplificare expeterem,
hic loci modum, quo icterus a chlorosi, vel febre
flavâ Occidentali, vel etiam flavedine ex morfu
venenato oriundâ, dignoscatur, dicerem; hae ve-
ro, praeter chlorosin, tum indole, tum signis, ab
ictero ita penitus distant, ut diagnosi, in hac
regione

regione saltem, omnino supervacanea evaderet ;
et, quod ad illam quoque, non defunt signa, qui-
bus ab ictero nunquam non facillime dignosca-
tur.

Imprimis, cum chlorosis foeminis cujusdam
aetatis fere propria videtur ; si aegri vel aetas,
vel certius si sexus minus convenerit, medicus
de morbi naturâ hallucinari nequit. Vel factò
etiam, quod sexus vel aetas ii sint, qui chlorosi
maxime sunt proclives ; attamen “ corporis tu-
“ more molli,” &c. faecum albidarum, urinae
rubrae, et oculorum flavedinis absentiâ, chloro-
sis ab ictero certissime discernetur.

Omissis igitur, utpote supervacaneis, omnibus
aliis, quae ad icterum ab aliis morbis dignoscen-
dum adduci possent, ad indicia, quibus variae
ipsius species inter sese internoscantur, explo-
randa animum potius advertam. Quisquis enim
secum reputaverit, quot et quam diversae eum
inducere

inducere valeant causae, cum doct. Van Swieten
 exclamabit, “ quam varia quam multiplex sit
 “ icteri idea, et quod idem nomine morbus, a
 “ diversissimis producaturs causis; quarum ta-
 “ men cognitio accurata tantam lucem adfert
 “ curationi instituendae; uti et ad formandam
 “ prognosin circa facilem vel difficilem, possibi-
 “ lem vel impossibilem, icteri sanationem.”

In ictero a laesione organicâ, scilicet ductus
 coarctatione aut ossificatione, vel hepatis, par-
 tiumve vicinarum schirrho, pendente, hypochon-
 drii dolor vel nullus, vel lenior et magis obtu-
 fus ac diuturnus, plerumque evadit; flavedo se-
 mel adortâ raro resolvitur, nec per paroxysmos
 redit, sed ab initio ingravescere perstat; dyspep-
 sia insignior, et cachexia generalis, vel hydrops,
 denique eum comitantur.

Species sunt quaedam, nempe a graviditate,
 alvi obstipatione, hepatitide, colicâ variâ, vel
 bile

bile nimia in intestina delatâ, et exinde resorptâ, originem ducentes, quarum causae adeo manifestae sunt, ut eas hic loci omnino praeteream.

Reliquae species, a calculis, scilicet, bile viscidâ aut spasmo pendentes, aegrius forsan inter-
noscentur. In harum autem primâ, morbus per
vices plerumque accedit, et illi, prae caeteris, sae-
pius adest pyrexia, vomitus, et dolor epigastrii,
praecipue post pastum, intensus; et, sub morbi
finem, saepe concretiones biliosae inter faeces
dejiciuntur.

In ictero a bile viscidâ oriundo, licet inter-
dum per vices, icteri calculosi instar, invadat,
attamen singulis paroxysmis pyrexia saepius ex
toto deest, minus adest doloris, et potius gravi-
tatis in epigastrio sensus; neque calculorum de-
jectio morbi solutionem unquam comitatur. Hic
vero notandum, quod neque hoc signum vel in
ictero calculoso semper occurrit.

Icterus

Icterus spasmodicus quoque dolore omnino fere caret, et quo haec a specie priori rite dignoscatur, causam excitantem, et sexum et temperamentum aegroti, novisse, semper multum juvabit. Si enim hysteriae, vel aliis morbis spasmodicis, vel graviori mentis affectui, supervenerit icterus, hunc spasma tribuere plerumque licebit.

P R O G N O S I S.

Quantum a causarum diversitate semper necessario pendebit haec, vix observare opus. Si laesio organica pro causâ habeatur, morbi solutionem felicem vix sperare oportebit.

Quod ad icterum a calculis oriundum, nisi aegrotus annis vel morbo infirmatus fuerit, exitum feliciorum plerumque denunciare licebit; hoc vero multo certius, si graviditati, meconio retento,

retento, spasmo, vel excretioni nimiae, tribuendus fit.

Cum morborum aliorum, e. g. hepatidis, colicae, hysteriae, &c. signum fuerit, non quidem de ictero, sed de morbo primario, formanda erit prognosis.

SYMPTOMATUM RATIO.

Languor universalis, et pruritus, a bile, nervos more inluito afficiente, procedunt.

Dolor hypochondrii, calculi irritationi plerumque debetur.

Cutis ariditas, a deficiente perspiratione plane exoritur.

Dyspnoea, anxietas, vomitus, &c. a sese invicem pendere videntur.

Dyspnoea ab hypochondrii dolore proficiscitur ; hoc enim plenâ inspiratione adaucto, quominus liberum spiritum trahamus, instinctu quodam monemur. Anxietas ex hâc causâ præcipue originem ducit ; sanguinis enim mutatio in pulmone salutaris, simulque foran ejus transmissio aliquatenus impedita, hujusmodi oppressionem infandam, ad cordis scrobiculum, inducere possunt. Ad hoc quoque effectum dandum, haud parum confert ventriculus, crudo cibo, vel aëre ob digestionem pravam extricato, distentus, qui, et ipse sensum molestum dabit, et mole suâ diaphragmatis descensum impediet. Vomitus, partim nexui illi mirando ventriculum inter et alia cuncta abdominis viscera, partim vero huic ipso male se habenti, tribuendus.

Flavedo universalis, bili sanguinis fero permixtae debetur ; unde autem in oculis, prae caeteris, insignior videatur, satis in aprico extat ratio. Bilis enim ipsa, quippe quae per sanguinis ferofitatem

fitatem pariter diffusa, ad omnes corporis partes peraeque defertur; sed, propter illorum tunicas tenues, simulque exilia, quae sanguinem rubrum excludunt, vasa, ibi citius sese semper manifestabit. Urinae quoque, quae ex sanguinis serositate praecipue conficitur, clare observatur flavedo. Ubicunque autem, vel vasorum rubrorum copia, id quod in labiis fit, vel cutis adfuerint crassior, ibi obscurior semper reperietur flavedo.

Morbo jam inveterascente, bilis vel internam glandularum fabricam penetrat; quâ ratione semen, saliva, &c. amaritudine et flavedine tandem inficiuntur; quapropter autem mammarum duntaxat structura, vitium generale effugere queat, me inscium agnosco.

Visus depravatus, et cerebri flavedo, a bile oculorum humores atque corneam, et cerebrum intimum, pervadente, oriuntur. Verum, ob va-
forum

forum hisce infervientium exilitatem, bilis tinctura, non nisi in icteris pertinacissimis, ubi eorum laxitas et debilitas adsunt insignes, vel sanguinis fortasse crasis quodammodo deletur, huc usque pervadit.

Foeces albiae, et alvus dura, bile absente, quae huic stimulum, et illis colorem, impertiri solebat, explicandae.

Diarrhoeae interdum observatae rationem reddere nescio; nisi forsitan haec quoque eadem causae debeatur; anne enim cibos, ob pravam digestionem, aequo diutius in intestinis commoratos, eam acrimoniam adepturos, ut intestina nimis stimulent, absimile videtur?

INDICA.

INDICATIONES MEDENDI

Sunt duplices,

1^{mo}, *Causas remotas amovere.*

2^{do}, *Symptomata molestiora mitigare.*

Causae tot variae, remediis aequae variis, amovendae. Imprimis ergo, si ductûs, pancreatis, glandularum lymphaticarum, vel hepatis, laesione organicâ, oriatur icterus, ut aliquid remedium multum profuturum sit, magnopere vereor. Remediorum, vi obstructionis dirimendae gaudentium, primum merito habetur *mercurius*; et licet mihi, ut ejus, in hepatis schirrho, administrationem faustam compererem, nunquam contigerit; attamen eo imprimis utendum est, utpote

utpote qui maximum beneficium pollicetur, omnium id genus quae haëtenus nota fuerint; et quo maturius adhibitus fuerit, eo certius quicquid utilis ei infit, obtinebitur. Si enim obftructio diuturnior fuerit, monente Gregory ingeniofo, haud abfimile erit. quin vaforum cavitas tandem deleatur, adeoque remedia, quantumvis praeflantia, frustra adhibeantur.

Cicuta, ob hujusmodi vim, a quibusdam multum effertur; atque, etiamfi eas virtutes egregias, quas huic afcripfit medicus Vindobonienfis Stoerk, minime poffideat; attamen, quoniam ipfe, ni admodum fallor, ejus, in glandularum aliarum affectionibus, virtutem quandam faepius obfervaverim, ejus periculum femper faciendum, et haud inepte hujus, et mercurii conjungeretur administratio.

Sunt qui, *cryftallis tartari* vim obftructionis folvendae insignem inefle, fibi perfuafiffimum habent;

habent ; necne vero aliquomodo deobstruentes, nisi quatenus laxantes, evadant, experiëntiâ forsan adhuc comprobandum restat ; sed, quoniam lene catharticum, commodum atque tutum semper praebeant, medicorum attentionem certe merentur.

In ictero, spasmo sive ductûs sive intestinorum oriundo, a remediis antispasmodicis, *moscho*, scilicet, *castoreo*, *foetidis*, *aethere*, *opio*, &c. hoc vero praecipue, plurimum levaminis accipietur.

Aurigo, graviditate faecum accumulatione, vel meconio retento, prognata, remediis laxantibus tractanda erit ; horum vero mitissima gravidis et infantibus administrare oportebit.

Si bilis viscida icterum excitaverit, haec remediis emeticis et catharticis, quae ductum emulgeant,

geant; et bilis secretionem adaugeant, optime exprimetur.

Calculos duplici modo amovere, solvendo nimirum, vel mechanice ejiciendo, conati sunt medici. Ad solutionem efficiendam, plurima laudata fuerunt remedia; horum vero nonnulla, utpote omnino futilia, hic ex toto praetermittenda.

Medicamenta vero solventia quod attinet; quisquis secum reputaverit, quod, antequam ad calculos ipsos devenerint, totam massam sanguinis, et quidem totum corpus, necessario percurrendum est, is facile perspiciet, horum omnium effectus valde fore exiguos, atque incertos.

Boerhaave, hypothesei suae inservire cupiens, viribus *saponis* solventibus multum tribuere voluit; hic vero ictero minime convenire videtur; omisso enim, quod huic ac cunctis aliis hujusmodi

modi remediis eadem objicienda restant; cum talis sit ejus constitutio, ut acidis quibuscumque in partes suas componentes illico redigatur, et cum in ictericorum ventriculis aliquid plerumque infit acoris, in elementa pristina necessario resolvetur; quo fit ut in ventriculo, jamjam nimis gravato, olei rancidi et concoctu difficillimi extricetur quantitas, et adeo ingravescat dyspepsia; dum altera saponis pars, acido jam conjuncta, remedium a sapone quam maxime diversum, sal medius scilicet, evadat. Atque profecto, siquid unquam profuit sapo, id ex alkali ejus, non calculum solvente, sed ductus orificium emulgente, et acorem quoque sorbente, advenire, et ex hoc puro, quam cum oleo commisto, potius accessurum, mihi satis verisimile videtur.

Alterum Boerhaavii remedium est, victus ex herbis confectus; et quidem, licet hic subsidio haud ita valenti sit, attamen quoniam plures bene meriti auctores, eum saepius profuisse attes-

tantur; et praeterea calculi hujusmodi boves tum praecipue infestant, cum herbis minus pascuntur; quid vetat quin, talem victum arquatis, et iis praesertim qui diathesin quasi ictericam contraxerint, si modo remediis idoneis inflationi et fermentationi obstare caverint, utilem fore credamus? Atque enimvero, si vitam sedentariam horum formationi aliquid conferre concedatur, agitatio modica ipsorum solutioni favere appareret. In universum vero, omnia remedia, ad calculos solvendo proposita, admodum dubia et debilia videntur.

E remediis calculorum expulsionem faventibus, praecipua sunt *emetica* et *cathartica*; quorum utraque, illa autem imprimis, vi adeo insigni bilis secretionem augendi, pollent, ut huic consilio explendo optime accommodata videantur. Quoniam vero vomitionis actio ipsa, toti corpori, et partibus potissimum diaphragmati vicinis, adeo vehementi sit stimulo, ea caute adhibenda.

Ubiunque

Ubique igitur urgeat dolor, vel aeger plethoricus sit, sanguinem prius mittere, quo inflammationi obstetur, et emetica vel mitiora, vel nulla, praecipere juvabit; quoniam horum actio calculum ita non eliminaret, ut eum constrictionem potius redderet; et longe tutius opium, balneum tepidum, hypochondrii fatus, et aquae tepidae lotiones largas, praecipiemus; hae vero, ob hepatis et coli vicinitatem, quasi ad partem ipsam applicatio habendae.

Cathartica quoque, ductum emulgendo, calculos eliminare valent; sed eorum administratio eandem fere attentionem, ac emeticorum, sibi vindicat.

Celeberrimus et peringeniosus ille Petit, alium calculos educendi, vesiculae felleae lithotomiâ, modum excogitavit; quantumvis autem speciosi prae se ferat hic, re ipsâ exerceri vix unquam oportet; non modo enim defunt, calculorum in
vesicâ

vesicâ existentium, indicia certa; sed fac etiam ea adesse, tamen operatio ipsa non sine summo discrimine susciperetur; nisi enim vesicula quovis casu peritoneae accreverit, quod nunquam pro certo praedici potest, aër abdominis cavitati irrueret; hujus vero periculum neminem latet.

Icteri a bile nimia in intestina delatâ orti, nulla fere medicamenta, nisi diluentia mitissima, &c. postulabunt.

Altera indicatio ad symptomata sublevanda spectat, quorum praecipua sunt, hypochondrii dolor, vomitus, concoctio prava, et alvi adstrictio. Cum dolor adsit ingens, praemissâ, si opus fuerit venae sectione, fofus hypochondrii, et opium felicissime adhibebuntur; neque enim hoc dolorem solummodo levabit, sed irritationem, adeoque contractionem, minuendo, calculi descensum expediet. Vomitus etiam, utpote nexui ventriculi inter et hepar, partim imputandus, huic quoque

quoque remedio saepissime cedet, eoque certius, si epigastrio simul adhibeantur foci, vel rube-
 facientia. Si quando autem ventriculi ipsius af-
 fectioni potius ascribendus fuerit vomitus, illius
 sublevatio hunc plerumque auferet. Alvi tor-
 por et prava concoctio a bile absente plane pro-
 cedunt; quibus ut obstarent, satis quidem spe-
 ciose, alii bilem bovinam, alii vero cujusvis ama-
 ri infusum, hujus loco substituere proposuerunt;
 sed laxativum aliquod mite, rheum, scilicet, qui,
 quâ amarus, intestinorum tonum adaugeat, vel
 magnesiâ ustam, quae acorem forbeat, vel u-
 trumque conjunctum usitatius adhibent medici.

T A N T U M.

quod remedium facillime cedit, eoque certius,
 si epigastrio simul adhibeantur fons, vel ruber
 facientia. Si quando hunc venientem ipsius
 sectione potius ascribendus fuerit vomitus, illius
 tabulario hanc pernamque auferat. Alii
 poro et prava coniectio a bile splente plane pro-
 cedant; quibus ut obstarit, salis quidem spe-
 ciose, illi bilem bovianam, alii vero crispis amas-
 ti infundant, huius loco substituitur propolis
 sed laxativum aliud melle, rheum, bellum, qui-
 bus amarus, intestinum totum adpareat, vel
 magis uisum, quae acorem fortiter, vel ut
 transire conjunctum affatus adhibere credat.

T A N T U M



